DISCURSUS MEDICO-CHIRURGICUS INAUGURALIS

DE

VARIIS LITHOTOMIAM ADMINISTRANDI MODIS, ET RAVIANÆ PRÆCIPUE METHODI PRÆSTANTIA

QUEM

DIVINO ASSISTENTE NUMINE

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRAESIDE

D. JOHANNE CASIM. HERTIO

CONSILIARIO ET ARCHIATRO HASSO-DARMSTADINO

ANATOMES CHIRURGIÆ ET BOTANICES

P. P. ORDINARIO

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES

RITE CONSEQUENDI.

MAGNIF. ET EXCELL. DNN. PROFESSORUM

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

WILHELMUS LUDOV. FILGUS,

USINGA-NASSOVIENSIS.

MEDICUS AULICUS ET PROVINCIALIS

HASSO-DARMSTADINUS,

AD DIEM 25. SEPTEMBR. MDCCXXVII.

GIESSÆ, Typis Vid. Joh. Reinh. Vulpii, Acad. Typogr.

VIRO
NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

WILHELMO LUDOVICO FILGO,

AULÆ HASSO-DARMSTADINÆ MEDICO, ET COMITATUS SUPERIORIS CATTIMELIBOCENSIS PHYSICO, COGNATO SUO ÆSTIMATISSIMO.

S. P. D.

JOH. CHRISTOPHORUS HERTIUS,

EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGUNTINI AC SERENISSIMI LANDGRAVII HASSO-DARMSTADINI CONSILIARIUS ET ARCHIATER AC MEDICINÆ IN ACADEMIA LUDOVICIANA PROFESSOR PRIMARIUS.

QUo magis Te artium, quibus animum addixeras amore ſemper incenſum intellexi, eo minus dubitavi, futurum, ut exoptatos in iis faceres progreſſus. Nec meum de Te augurium fefelliſſe eventum arbitror. Tu enim, cui curæ cordique erat, ut chirurgicum cum medico ſtudio conjugeres, alterum ſine altero mancum reputans ac mutilum, eorum quibus apud exteros in iis erudiendum Te tradideras, opera & manuductione ita uſus es, ut egregium facile eruditionis Tibi theſaurum comparares. Id autem tanto magis etiam ſperandum erat, quod inter eos Præceptores habueris Celeberrimos Anatomicos Winslovium & Ruyſchium, alterum Pariſienſem

&

& Amſtelodamenſem alterum, Famigeratiſſimum Boerhavium, & qui paulo ante in B. Ravii locum ſucceſſerat Excellentiſſ. Albinum. Non mirum igitur erat, quod mox poſt reditum ad nos Tuum, ſcientiæ ac peritiæ ſpecimina edere potueris, quibus ego facile adduci poteram, ut Te, qui conceptam de Te ſpem ſic impleveras, dignum judicarem, qui ſummos in arte medica honores ambires, atque ut eos capeſſeres auctor eſſem. Ego vero qui iis Te nunc propediem condecorandum eſſe comperi non mediocri ſum affectus lætitia, eoque Tibi nomine gratulandum eſſe duxi. DEUM autem Veneror velit Tibi Tuisq; conatibus porrò ita benedicere, ut Conſummati quondam Medici, Diverſorum Electorum ac Principum Archiatri, Domini JOH. GODOFREDI GEILFUSII, *Avi Tui materni veſtigiis inſiſtens, feliciter aſſequaris, quæcunq; ſive ex republica, aut ægrotantis proximi eſſe uſu vel ad tua commoda pertinere poſſint. Scribebam Darmſtadii d. 6. Septembr. 1727.*

CORRIGENDA.

Pag. 1. lin. 20. deleatur non, & lin. 22. pro lithotomiam lege lithotomiæ. p. 8. lin. 18. pro conectitur l. connectitur, & l. 25. pro ſphinater l. ſphincter. p. 9. l. 9. pro inſervit l. inſerviens. p. 12. l. 28. pro hoc l. hac. p. 14. l. 20. pro adoptatæ l. adoptari p. 15. l. 1. pro tus l. penitus, & l. 3. pro conveniendi l. convenienti. p. 16. l. 8. pro inſectione l. ſectione p. 17. l. penult. pro lithomia l. lithotomia. p. 18. l. 10. pro lithomiæ l. lithotomiæ, lin. 19. pro opinior l. opinor, & l. penult. pro lithomia l. lithotomia. p. 19. l. 1. pro lithomiam l. lithotomiam. p. 20. l. 14. pro libebilli l. libelli. p. 23. l. 18. pro intreſſe l. intereſſe. p. 24. l. 24. pro Queadmodum l. Quemadmodum. p. 25. l. 23. pro adductus lege adductis p. 31. l. 21. in fine del. comma. p. 33. l. 7. pro retracto l. retracta, l. 15. pro urethrræ l. urethræ & l. ult. pro reliquuum l. reliquum. p. 34. l. 1. pro deſtinatus l. deſtinata, & l. 18. pro aperirii l. aperiri. p. 36. l. ult. pro trailler l. tailler. p. 41. l. 25. pro ob l. ab, p. 44. l. 9. pro alium l, aliam, p. 47. l. 9. pro plutes l. plures.

SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO ERNESTO LUDOVICO,

HASSIÆ LANDGRAVIO, PRINCIPI HERSFELDIÆ, COMITI IN CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIEGENHAINA, NIDDA, SCHAUMBURGO, YSENBURGO ET BUDINGA,

RELIQUA.

PATRIÆ PATRI,

ET

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

HANC DISSERTATIONEM

CUM OMNIGENÆ FELICITATIS VOTO

EX DEBITA PIETATE HUMILLIMAQUE DEVOTIONE

CONSECRAT

AUCTOR.

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME.

QUod præter ceteros mihi inprimis faciendum eſſe jam pridem ſum arbitratus, ut ne publicum pietatis erga TE meæ monumentum ſtatuere omitterem, id vero nunc ad officii religionem

ſum-

ſummamque, qua & ſæpe & ſerio ad SERENITATIS TUÆ cultum excitor, venerationem pertinere exiſtimo. Sive enim faſtigii, in quo TE SUPREMUM NUMEN collocavit ſplendorem intueor: ſive virtutum, quibus inter eos, qui dignitate ceteroquin, generisque clarirate tibi pares ſunt, longe emines, pulchritudinem conſidero, cauſſa mihi eſt juſtisſima, cur & dicam publice, & ſentiam penitus, in TE coniuncta conſpici omnia, quæ magnam, ſe juncta etiam, PRINCIPIBUS auctoritatem venerationemque conciliant. Cujus quidem GLORIÆ TUÆ, quæ ſola immorralis eſt, ſi omnes partes ſigillatim attingere ſtatutum mihi

 decre-

decretumque eſſet, magnopere vererer, ne ipſa ratio me infirmitatis meæ convinceret. Quare in ſpem venio, fore ut pro TUA in me clementia patiaris, mihique in SERENITATIS TUÆ venerationem parato, hanc tribuas veniam, ut obſequii mei, quod ex gratæ mentis pietate proficiſcitur, ſumma pariter cauſſaque aliis declaretur. Etenim anni jam ſunt complures, quod omnibus in rebus ſingularem benignitatem TUAM perſpexi, atque eam tam aperte, tamque cumulate ſum expertus, ut ex quo chirurgicæ artis tractationem amplexus, munificentia TUA vel maxime egui, nihil accidiſſe mihi ſenſerim, quin ad tuenda amplifi-

can-

candaque mea ſtudia pertineret. Peragratis enim nobilioribus quibusdam Germaniæ civitatibus cum ex Helvetia, ubi per triennium in celeberrimo artisque medicæ peritis notisſimo Noſocomio Bernenſi, quod Inſulam vocant chirurgiæ operam dederam, in patriam rediiſſem, tanta me clementia excepiſti, SERENISSIME PRINCEPS, ut ad pleniorem artis hujus cognitionem comparandam me non modo in Galliam dimitteres, inque amplisſima hujus regni ciuitate, quæ Lutetia Pariſiorum vocatur, non ſine magnis ſumptibus per unius & dimidii anni ſpatium clementisſime ſuſtentares ſed & Hollandiam perluſtrare, Lugdunum-

numque Batavorum me conferre jube-
res, eum potiſſimum in finem, ut novum
Lithotomiæ artificium, quod Experien-
tisſimus cadaverumque ſecandorum lau-
de clarisſimus Ravius cum magna plus-
quam mille quingentorum calculo labo-
rantium ſalute inſtituit, ac incredibili, ſed
felicisſima ratione exercuit, probe addiſ-
cerem: cui mandato quemadmodū pro
eo, quo par eſt obſequio & induſtria non
ſatis tantum facere ſtudui, ſed & propter
perpetuum atque indiſſolubilem Chi-
rurgiæ cum Medicina nexum, in ipſius ſa-
lutaris artis ſtudium nunquam non incu-
bui, ita TUA SERENISSIME PRIN-
CEPS, non deſtitit clementia me pro-
move-

movere altius, Medicique Aulæ, ac Phyſici provincialis munere clementisſime augere. Quæ vero beneficia cum tanta ſint, ut omnem dicendi ubertatem ſuperent, ne dum gratiæ referendæ ullam mihi facultatem permittant, hoc tantum abs TE, SERENISSIME PRINCEPS, demiſisſime peto, ut quam de variis lithotomiam adminiſtrandi modis; ſpeciatim vero de Ravianæ methodi præſtantia conſcripſi diſputationem, tanquam ſummæ in TE pietatis ſanctisſimique obſequii monumentum ad pedes TUOS humi proſtrata reverentia me deponere ſinas. DEUM O. M. ſupplex veneror, ut TE SERENISSIME

PRIN-

PRINCEPS ex omni parte feliciſſimum reddat, in ſeros uſque annos incolumem conſervet, DOMUMQUE TUAM SERENISSIMAM ab omni malo tutam præſtet, plurimumque augeat. Scribebam Gieſſæ d. 20. Septembr. 1727.

SERENITATI TUÆ

Subjectiſſimus Servus

Wilhelmus Ludovicus Filgus.

PRÆFAMEN.

NOn omnino ſine ratione nobis conqueri videtur Celebris ille Londinenſium Chirurgus JOH. DOUGLASSIVS, *(a) qui, quam* FRANCISCUS ROUSSETUS *dudum prolixius propoſuerat methodum veſicæ calculum ſupra os pubis prævia debita ſectione extrahendi, paucos ante annos in praxin vocare nullus dubitavit: Quando nullum noſtrorum eſſe Anatomicorum exiſtimat, qui maximam ſui temporis partem, iis deſcribendis partibus impenderit, quarum nullus ſive in medicina ſive chirurgia uſus eſſet, nec ullum eſſe, qui inimitabili* ROUSSETO *excepto, verum veſicæ urinariæ ſitum tradiderit, unde Rouſſetianæ, quam ipſe in nonnullis mutavit, methodi ſecuritas penderet: Equidem ſi recentiorum potiſſimum Anatomicorum labores exactius examinare placuerit, inter eos utique non deeſſe apparebit, qui minutiis potius, ſubtiliori minutarum partium texturæ inveſtigandæ, exiguis glandulis &c. nondum tamen in apricum productis, perſcrutandis operam dederint, quam ut de aliis, quæ evidentem verumque in medicina uſum habent, non æque ſoliciti fuerint. Cujusmodi quidem curioſitatem, tanquam medico ſcopo minus utilem, paſſim* Celeb. STAHLIUS

a) In libello quem de nova lithotomiam methodo ſcripſit p. m. 46. & 47.

LIUS *in ſcriptis ſuis & ſpeciatim in Diſputatione de Medicina medicinæ curioſæ pluribus notat. Quantumvis autem hæc ita ſe habere inficias ire nolimus, non ignoramus tamen etiam, peritiores Anatomicorum cum antiquorum, tum recentiorum in quibuscunque anatomes partibus non omiſiſſe omnino monita de rebus, quæ in utraque harum artium inſigni ſe uſu commendant. Adhæc vero, quibus doctorum Chirurgorum ſcripta attentiori paulo animo perluſtrare volupe fuerit, iis occurrent certe præcepta, è quibus ſatis elucere poterit, quænam ad diuerſas operationes prudenter inſtituendas ex anatomicorum obſervatis petenda adeoque ob uſum notatu utique dignum memori mente tenenda ſint. Illud interim probe agnovit* DOUGLASSIUS, *non inutilem ſane eorum fuiſſe aut futuram curioſitatem, ſi, qui in indaganda corporis humani fabrica tempus operamque collocarunt vel etiamnum collocaturi ſint, diſtincte atque clare indicaverint aut explicaturi ſint, quæ ex obſervandis non tam ſolum nullum, quam eximium quoque, ſiquidem finem medico-chirurgicum reſpiciamus, uſum habeant. Quod alterum hujus Angli aſſertum attinet, neminem nempe, niſi* ROUSSETUM *verum veſicæ urinariæ ſitum expoſuiſſe, in eo vel popularem ſuum* CHESELDENIUM, *qui ipſum tamen in nova hac operandi ratione brevi poſtea ſecutus eſt, non videtur habere conſentientem. Namque cum* ROUSSETUS *veſicam extra peritonæum ſitam eſſe & quartum quendam ventrem exiguum conſtituere adfirmet, ille potius in ſuo quod de alti apparatus methodo edidit ſcripto, pro certo habet, renes & veſicam intra duplicaturam hujus membranæ, quod aliis quoque dudum placuerat, contineri. Sed ut de iis hoc loco*

non

non dicamus, illud omnino penitiori conſideratione non indignum arbitramur, quod ſedula ſitus nexusque veſicæ urinariæ inveſtigatione tantum aſſecutus ſit ROUSSETUS, *ut, quam de his ſibi comparaverat, notitiæ peculiarem & talem quidem ex illa parte calculum eximendi modum, ſuperſtruxerit, cujus ſucceſſum, licet ipſemet in vivis explorandi occaſionem non habuerit, ejus tamen ſero etiam è poſteris* DOUGLASSIUS *& poſt eum quoque alii periculum fecerint & ſic quidem, ut conceptæ de eo ſpei & expectationi eventus reſponderit, quo ipſo non minus quam rationibus non omnino contemnendis aliis, inducti quoque ſunt, ut ceteris hanc methodum longè præferendam eſſe ſtatuerint. Quod ſi conſtans experientia comprobaverit, tanto magis inde intelligi poterit, quantum commodi ex accurata partium, quoad ſitum inprimis atque nexum, cognitione, in chirnrgiam redundare poſſit & ad inveniendos quidem non ſolum novos operandi modos, ſed ad jam cognitos etiam certius & ſecurius in actum deducendos. Teſtantur autem id plures & multiplices operationes, ut vocant, chirurgicæ etiam alia juxta hanc notitiam, ſiquidem cum ratione agere velimus, utique peragendæ. Enim vero ut noſtri limites argumenti non tranſcendamus, non dubitamus, quin vel ſolo Monachi illius, qui* JACOBI BEAULIEU *nomine dudum ob novam, quam primum in Gallia profeſſus eſt exercuitque calculum veſicæ ſecandi artem, &* RAVII *exemplo conſtare poſſit. Ille enim licet loco calculo extrahendo congruo inciſionem facere conſueverit, tantum tamen abeſt, ut ſcopo ſuo vel ex proprio aut ægrotantium voto potitus ſit, ut potius gravius veſica & adjacentibus partibus læſis, vel experimenta per mortes egerit*

rit, vel gravia & moleſta patientibus incommoda accerſerit, adeo quidem, ut ſatius quoque fuiſſe, non malè judicaverit BERNHARDUS SIEGFRIED ALBINUS dignus RAVII in munere profeſſorio ſucceſſor, de hac arte nunquam cogitaſſe Monachum, niſi optimæ inveniendæ methodo RAVIO occaſionem dediſſet. Hic quippe licet majoris hactenus apparatus modum in ſecandis calculoſis ſecutus eſſet & Fratris JACOBI methodum, poſtquam aliquoties eum Amſtelodami operantem vidiſſet, damnaſſet, teſtantibus id ipſum Patre & Filio ALBINIS, re ſerius tamen expenſa, & ipſe eam poſtea elegit & pro ſingulari, qua inſtructus erat, anatomes peritia, cum qua inſtrumentorum commodorum apparatum, tum qua ſectionem caute inſtituendam ita emendavit atque correxit, ut in plurimorum deinceps calculo miſere adfectorum ſolatium atque ſalutem feliciter ea uſus eſſet. Qua de re tamen, quum in thematis noſtri pertractatione dicendum ſit, non erit, cur plura addamus. Faxit autem D. T. O. M. ut labor noſter ante omnia in ſui nominis gloriam & in proximi ſalutem cedat ac commodum.

§. I.

Sicut vero non unus calculum veſicæ extrahendi modus eſt, quin potius cum pro inſtrumentorum, quibus peragi atque obtineri ſolet, majori vel minori apparatu et varia horum fabrica ac forma, tum loci, in quo ſectio inſtitui ſolet, diverſitate, varius; ita licet paſſim in Medicorum ac Chrirurgorum ſcriptis eos expoſitos inveniamus ac delineatos, noſtrum tamen erit, ea præcipue de his repeterc, è quibus intelligi poſſit, quid commodi ab iis expectare liceat, aut incommodi quoque metuendum ſit, et quamobrem Ravianam methodum aliis præferendam exiſtimemus.

§. II.

Atque de iis quidem calculum veſicæ educendi modis quum nobis ſermo tantum ſit, qui prægreſſam debitam, ut grandiores quoque calculi eximi poſſint, inciſionem requirunt, non erit, cur multis, quam PROSPER ALPINUS deſcripſit duplicem eum exteahendi methodum, quæve apud Ægyptios abſque ulla inciſione inſtitutæ feruntur, hic exponamus; quarum quidem alteram ipſe

ab Arabe quodam in Duce quodam Turcarum & duobus Judæis feliciter adminiſtratam vidit. Fieri autem ſolebat fortius inflando urethram & per cannulam quidem ligneam penis canali admovendam, ceterum colis extremo, ne flatus interiora peteret, compreſſo. Quo facto & urethra ſatis diſtenta, miniſter digito in anum immiſſo in urethram protrudebat calculum, ut ad glandis tandem confinia adactus remota celeriter cannula penitus expelleretur. A qua calculum educendi ratione, non omnino diverſus eſt alter, cujus ALPINVS ibidem mentionem facit, modus, quemve ab OCTAVIO ROVERETO ſuo ſucceſſore, per literas ſecum communicatum ſcribit. Plures autem pro hoc ſcopo, calculi nempe extractione obtinendo diverſæ magnitudinis cannulas & ex cartilaginea quidem materia confectas ac dilatabiles, in hunc quidem modum adhibitas legimus, ut iis ſucceſſive à graciliori incipiendo, urethræ ad veſicam usque immiſſis inſufflatione ea ſatis dilatari queat. Tandem itaque applicata harum cannularum, ſi neceſſitas exegerit maxima, ſufficienterque dilatato urinario canali, reliquum erat, ut digito in anum inmiſſo, calculus ad alteram hujus cannulæ extremitatem in veſicæ collo hærentem adigeretur, isque deinceps excepto ore altero ejusdem cannulae extremo ſuctu extraheretur. Quæ quidem calculos eximendi methodus licet tutior minusque dolorifica forte videatur, facile tamen apparebit, majoribus hoc modo calculis viam minus parari poſſe. Quam methodum etiam plane locum non habituram ſibi perſuadet DIONIS, ſi vel exiguæ ſolum olivæ magnitudinem calculus excedat. His interim jungi poterunt, quæ SO-

LIN-

LINGEN fuſius tradidit, qua nempe ratione minores calculi citra ſectionem cum urina poſſint excerni, urethra turundarum ope è charta pergamena confectarum, ſucceſſive prius dilatata. Sed hæc ob adductas rationes breviter indicaſſe ſufficere poterat.

ſ. III.

Antequam vero de variis lithotomiam adminiſtrandi modis verba faciamus, veſicæ urinariæ & ab ea productæ urethræ hiſtoriam inprimis quoad ſitum & connexionem paucis præmittemus, MORGAGNI inter alios monitum ſecuturi. Qui quidem poſtquam methodum harum partium ſitum detegendi oſtenderat, ſic ſcribit, *Quem quidem urethræ & veſicæ poſitum ſic inſpexiſſe non modo ad hanc diſquiſitionem, ſed etiam atque adeo inprimis ad catheterem peritius immittendum, ad lithotomiam felicius inſtituendam, ad ea demum, quæ de ipſius hujus varia methodo, annis ſuperioribus diſputata ſunt, melius dijudicanda plurimum proderit.* Quemadmodum vero veſica, ut ſecretam in renibus urinam, ex ureteribus commode ſuſciperet, inferiori intra abdomen loco, in pelvi nempe, ſive cavitate illa, quæ oſſa innominata & ſacrum connexione ſua conſtituunt, ſuum nacta ſitum eſt, ita ut, pro recipienda excernendaque urina dilatari conſtringique poſſit, membranaceo muſcularem adepta eſt ſubſtantiam, & è triplici ſpeciatim membranarum contextu efformatam, quarum extimam quæ communis quoque vocari ſolet peritonæum, intra cujus duplicaturam latitare videtur, ipſi largitur, cuius exteriori lamina oſſibus pu-

bis

bis, & per fibras quoque ab ea excurrentibus inferius muſculis abdominis laxius nectitur. Quae huic tunicæ ſubjecta eſt muſcularis quodammodo, ex fibrarum longitudinalium potiſſimum & transverſalium textura conſtat, cujus quidem robuſtos ac toroſos faſces conſiſtentiæ modo, illas fibras carneas æmulari ſcribit MORGAGNI, quas tenuiores licet, in tribus muſcularibus coli faſciis obſervare liceat. Hæc cum robur veſicæ augeat, & expulſioni potiſſimum urinæ inſerviat, nonnulli muſculum involventem, alii vero cum SPIGELIO & COOPERO urinæ detruſorem nuncupant. Tertia harum tunicarum nervea eſt, cruſta intus veluti mucoſa, adverſus contenti liquidi acrimoniam obducta. Ceterum hoc ipſum receptaculum ſuperius urachi præcipue interventu umbilico cohæret; inferius vero & poſterius in viris inteſtino recto in fœminis autem vaginæ uterinæ arcte jungitur. Denique per cervicem & collum cum partibus quoque quæ generationi inſerviunt conectitur. Figurae globoſæ oblongæ intuitu, quæ quodammodo pyrum inverſum refert, in fundum & collum dividi ſolet; & illius quidem nomine ſuperiorem latioremque, hujus vero anguſtiorem & inferiorem ejus partem denotamus, quæ autem extremæ cervicis partem transverſalium & muſcularium fibrarum ſeries ambire cernitur & conſtrictione ſua involuntariæ urinæ excretioni reſiſtit ſphinater veſicæ vocatur. Arterias & venas ab hypogaſtricis & hæmorrhoidalibus potiſſimum; nervos vero ab intercoſtalibus non modo, ſed ex oſſis quoque ſacri receſſibus à medulla ſpinali accipit. Quibus Celeb. CELLERVS vaſa quoque lymphathica addit. De collo ſaltem dictis adjicien-

ciendum, pro eo nonnullos eam urethræ partem agnoſcere, quæ proſtata cingitur, & inde ad urethræ bulbum exporrigitur.

ſ. IV.

Qui vero collo veſicæ continuus eſt ductus membranaceus, in mulieribus duorum digitorum transverſorum longitudinem raro excedens, in viris vero hanc menſuram longe ſuperans atque ſeminis urinæque emiſſioni in his inſervit, is urethræ nomine ſatis quidem notus eſt. Huius canalis inferiori corporum cavernoſorum interſtitio interjecti, & calami ſcriptorii circiter craſſitiem æquantis, ſtructuram ſi examines, ex binis, eum apparebit notabili robore pollentibus membranis, exteriori ac interiori et intermedia his cavernoſa ſubſtantia coagmentatam eſſe, cujus quidem poſteriorem prominentiam, quam proſtatarum globo vicinam cernimus, bulbum urethræ vocamus. Sicuti verò urethra ad glandis uſque extremitatem excurrit; ita paucis notamus RVYSCHII a) utique nos induſtriæ debere, quod tandem innotuerit, hanc ipſam glandem non niſi corporis cavernoſi minoris urethræ, & duorum majorum penis productionem ac continuationem eſſe, ita quidem, ut cavernoſa hæc majora interiorem, exteriorem vero, minus urethræ componat.

ſ. V.

Quod vero pro noſtro ſcopo ob rationes ſupra à MORGAGNI adductas hic maxime omnino notandum, eſt ſitus & ipſius urethræ progreſſus. Cuiusmodi quidem ſitum veſicæ & urethræ in viris æque ac fœminis pulchre

B ex-

a) Vid. Obſ. anat. chir. Obſ. C.

expreſſit ALGHISIVS. Atque hunc quidem urethræ ſitum atque progreſſum, quum in viris quoque curate à MORGAGNI *a*) annotatum habeamus, non diſplicet ipſius eum verbis deſcribere: *Proſtatam*, inquit, *vidi recto inteſtino parallelam, quæ autem urethræ pars, inter proſtatam & inter initia ſpongioſi urethræ corporis intercedit, eam vero in notabilem flexuram curvari vidi, ibi enim urethra, quæ primum deſcenderat, ſic inflectitur, ut ab antica ani parte ad corporum penis nervoſorum concurſum adſcendat, donec rurſus cum ipſo cui ſubnectitur pene, deorſum incurvetur ac propendeat.* Neque tamen ad agnoſcendas, quibus varii lithotomiam adminiſtrandi modi impliciti ſunt, difficultates, aut pericula ac incommoda, quæ ſecum trahere ſolent, recte intelligenda ſufficit, hactenus dictarum partium diſpoſitionem, ſitum, ſtructuram nexumque non ignorare, ſed idem circa genitales quoque partes noſſe convenit, quæ locis ubi inciſio juxta diverſos operandi modos pro extrahendo calculo fieri ſolet, vicinæ ſunt, & gravius ſæpe læſæ impotentiam inducunt, veſiculas putamus ſeminales, receptacula nempe illa celluloſa, accepti ex vaſis deferentibus ſeminis aſſervationi & expulſioni à natura dicata, & parte inferiori ipſius cervicis veſicæ cohærentia, ut de ductibus earum excretoriis, ipſarum proſtatarum corpore, juxta alios urethræ principium, aut ut aliis placet collum veſicæ ambiente, de muſculis denique acceleratoribus à ſphinctere ani ad bulbum urethræ protenſis, iisque inſtratis, aliisque plura non addamus. Cujusmodi quidem partes, cum

a) In Adverſar. anat. III. animadv. XLI.

cum læſionibus, & ſæpe quidem gravibus, in talibus operationibus obnoxiæ ſint, mirum certe non erit, ſi non levia eas ſæpe pericula & incommoda ſequantur.

§. VI.

At vero, ut ad ſcopum noſtrum accedamus propius, de variis nunc lithotomiam adminiſtrandi modis dicendum erit, qui quidem, quum, ut ſupra monuimus, loci quoque intuitu, cui, pro eliminando è veſica calculo, vulnus infligitur, differant, dum is vel altior, vel inferior eſt, in iis recenſendis atque examinandis, non dubitamus, quin eum nobis ſervare ordinem licuerit, ut ab illo, qui ſupra oſſa pubis inſtitui ſolet & propterea Latinis apparatus altus, Gallis vero le haut appareil dicitur, initium faciamus. Qui hanc primus & in bimulo quidem ſuſcipere non veritus eſt, fuit, quem alii in Provincia, Galliæ regione ortum, alii vero Lauſanenſem ſcribunt, PETRUS FRANCUS, à quo etiamnum hæc methodus Franconica dicitur. Tametſi vero eam hic in ſubjecto teneræ adeo ætatis & felici omnino ſucceſſu & vero poſtquam calculum ovi gallinacei magnitudine ad collum veſicæ detrudere fruſtra conatus fuerat tentare, non dubitaverit; tantum tamen abeſt, ut hanc operandi rationem, alios quoque in poſterum ſequi voluerit, ut potius omnino diſſuaſerit. Quippe quam ipſe, vix non alia ratione, quam atrociſſimis patientis doloribus, & parentum, qui filium mori potius, quam diutius tot tantisque cruciatibus torqueri malebant, precibus importunis victus coactusque arrripuerat. Sed non diſplicebit forte, ſi ipſam hiſce Aucto-

ris *a*) hac de re relationem adjecerimus, nec enim, quo utitur ſtilus, qui ab hodierna dicendi ſcribendique ratione videtur abeſſe longius, quenquam facile offendet. *Je rciterai ce qu' une foi m' eſt advenu voulant tirer une Pierre à un enfant de deux ans ou environ, auquel aïant trouvé la Pierre de la groſſeur d' un oeuf de poule, ou peu près, je feys tout ce que ie peu pour la mener bas: & voyant que je ne pouvoye rien avancer par tous mes efforts, avec ce, que le patient etoit merveilleuſement tourmenté, & auſſi les parens deſirans qu' il mouruſt pluſtoſt que de vivre en tel travail: joint auſſi, que je ne voloye pas qu' il me fût reproché de ne l' avoir ſeu tirer, (qui étoit à moi grande folie) je deliberai avec l' importunité du pere, mere & amis de copper ledit enfant par deſſus l' os pubis, d' autant que la Pierre ne voulut deſcendre bas, & fut coppé ſur le penil, un peu à côté & ſur la Pierre. Car je levoys icelle avec mes doigts, qui étoient au fondement, & d' autre coſté en la tenant ſujette avec les mains d' un Serviteur qui comprimoit le petit ventre, au deſſus de la Pierre, dont elle fuſt tirée hors par ce moyen, & puis après le patient fuſt guary (non obſtant qu' il en fuſt bien malade) & la playe conſolidée. Combien que je ne conſeille à homme de ainſi faire: Ains pluſtoſt uſer du moyen par nous inventê du quel nous venons de parler.* Inter alios & quidem antiquiores eſt potiſſimum FRANCISCVS ROVSSETVS *b*) qui

a) Vid. ejus Traité des Hernies c. 33.

b) Qui in ſecunda inprimis Libelli de Partu cæſareo editione diverſis capitibus de hoc methodo agit & proponit, quic quid ipſi ad eam ſtabiliendam ac confirmandam facere viſum eſt.

qui huic inprimis calculum veſicæ extrahendi methodo favet, nec experimentis minus, quam rationibus probare nititur, quamobrem aliis omnino anteponendam ducat. Qua de re etiam ſerio ſe cogitaſſe aſſerit, antequam quidquam de ea audiverit vel legerit, quapropter poſtquam deinceps in FRANCI libellum inciderat, in quo felix ejusdem operationis ſucceſſus, & in infante quidem duorum annorum, & præterea doloribus non ſolum, quos calculus hactenus excitauerat, ſed alterius quoque methodi incommodis ac tormentis defatigato, refertur, tanto magis mirum ipſi videbatur, quod laudatus FRANCVS, extractionem hoc quidem loco in poſterum tentari noluerit, adeo quidem, ut quantum ex rationibus colligere licet, ob quas alios ab hac methodo dehortari voluiſſe ipſi viſus eſt, vix non ſuccenſere FRANCO videatur. ROVSSETVS equidem ut novam hanc methodum ſtabiliret oſtenderetque, ſecuriorem non minus, quam faciliorum hactenus uſitatis futuram, prolixus ſatis eſt, ut quæ eos ſtipare haud adeo raro ſolent difficultates, incommoda ac pericula exponat, quibus inter alia non viæ ſolum per ſectionem aperiendæ, calculo inprimis grandiori ſæpe ne aditum quidem, multo minus exitum, citra ingentem violentiam concedentis anguſtiam, & partes in ſectione gravioribus ſæpe læſionibus obnoxias alias, notabiles nempe vaſorum ſanguineorum propagines, veſicæ ſphincterem, muſculos ibidem occurrentes, viciniam inteſtini recti &c. ſed prava quoque conſectaria gravibus harum partium læſionibus, non raro ſuccedentia, urinæ nimirum incontinentiam, fiſtulas, impotentiam &c. annumerat. Quod quum felici tandem

cum FRANCI in tenero infirmoque infante experimento, tum exemplis vulnerum in ſuperiori quoque veſicæ parte perfecte curatorum adeoque HIPPOCRATIS illo ſatis noto aphoriſmo, quo vulnera veſicæ lethalia aſſeruntur, non deterritus, ſed rationibus præterea ſuffultus aliis, tanto confidentius de hujus methodi commodis ſtatuit. Quam vel ideo etiam ſecure peragi poſſe ſcribit, quod aſſurgente ultra os pectinis veſicæ impletæ fundo, non tam in hoc quam in ea parte potius, quæ collo veſicæ vicina, inciſio facienda ſit.

§. VIII.

Quod ſpeciatim interim modum operandi ab ipſo propoſitum attinet, potiſſimum impletionis veſicæ, ſitus patientis, loci incidendi, ſectionis ipſius, ejusque modi, & inſtrumentorum ratio habenda. Impletio veſicæ, cui quidem ſcopo, hordei aquam, lac, aut vulnerarium decoctum inſervire poſſe, putat, ante ſectionem ideo requiritur, ut veſica, quæ altiora fundo ſuo tum petit, convenienti loco incidi queat. Totus enim rei cardo, ut Auctor loquitur, in eo vertitur, ut ejus inde emotæ globus, quam altiſſime eminere poteſt, ſurſum promoveatur. Situm ſupinum huic operationi velificari exiſtimat, quod hac ratione non retrocedant modo inteſtina, ſed materia implens quoque veſicam, cum calculo ad ejus fundum tendat. In hunc modum itaque locato ægro & vinctis bracchiis ac cruribus, fiſtula, quibus ad injectiones clyſterum uti ſolemus, urethræ immittenda, ut ope ſiphonis huic adaptatæ, quodam ex dictis liquidis

peni-

tus veſica impleri poſſit. Quo facto penis, ne implens liquidum effluat, ſive manu miniſtri comprimendus, ſeu conveniendi ligatura conſtringendus. Locus incidendus Auctori duplex eſt, exterior & interior: ſub illo comprehendit cutem & huic ſubſtratam pinguedinem oſſi pubis vicinam; hunc vero vult eſſe medium inter muſculos rectos, aut potius breves horum ſubſidiarios. Cutem & pinguedinem & muſculorum deinde illam intermediam regionem trium aut quatuor digitorum longitudine ab oſſe pubis ſurſum verſus ſucceſſivè ac cautè incidi jubet. Ad veſicæ vero ipſius inciſionem primo adhibendam eſſe, putat, novaculam falcatam, qua proxime ad os pubis, non recta, ſed deorſum, verſus inferiorem veſicæ partem demiſſa, oſſe pubis intacto, exiguum vulnus infligi poſſit; huic ſubſtituit alium cultellum falcatum quoque, ſed lenticulatum, ne veſicam interius lædat, atque hoc in vulnuſculum immiſſo, ab oſſe pubis ſurſum duorum triumve digitorum transverſorum longitudine inciſio facienda, quo facto ſupereſt, ut alterius manus digito in anum, in fœminis vero in vaginam uteri intruſo, calculus ad vulnus adigatur, alterius deinceps manus digitis, vel congruo forcipe eximendus. Tandem ut urinæ, ſaniei ac cruori via pateat, liberato à vinculis patiente, peni ſiphunculum indi jubet, in eo, quamdiu forte neceſſitas exegerit retinendum, ea ceteroqui ſpe fretus, futurum, ut adductis cruribus, ægroque ſupinum ſitum quiete ſervante, vulneris labia facile coëant. Neque tamen hanc ſolum, hoc loco calculum eximendi rationem tradidit ROVSSETVS, ſed duos ipſi addidit modos alios. Atque alter quidem in eo potiſſimum ab illo diver-

diverſus eſt, quod hic catheterem cavum adhibeat, per urethram in veſicam immittendum, ut non implendæ modo veſicæ, ſed eidem quoque in operatione ſuſtinendæ inſerviat. Injecto vero per hunc convenienti liquido, ne denuo effluat, immiſſo in catheterem ſtylo adhunc uſum parato, impediendum. Sed præter cavitatem ipſe hic catheter in dorſo ſulcatus ſit oportet, non ſecus ac illi, quibus in inſectione Mariana utuntur, ut in ſectione veſicæ, cultelli cuſpidem excipere tutoque deducere poſſit. Tertius denique modus in eo conſiſtit, ut ſi impletio prædictis modis fieri minus quæat, patiens ligato leniter pene urinam retineat, quousque ſatis diſtenta veſica, operatio videatur locum habere poſſe, quod quidem ut eo certius ſiat, potulentis eum interea diureticis uti poſſe, autumat. Juxta quos poſteriores tamen modos, hanc operationem peragi poſſe negat DOUGLASSIUS.

ſ. VIII.

Atque hæc eſt illa methodus, quam vel ideo aliis præferendam eſſe, exiſtimat; quod hoc loco veſicæ & inſtratis partibus inflictum vulnus ſatis atque adeo dilatari poſſit, ut majores etiam calculi ſine tot tantisque doloribus & enormibus hæmorhagiis facilius non eximi modo, ſed incommoda quoque ac pericula, quæ vulgares ſecandi modi frequentius ſecum trahant, evitari queant. ROUSSETUS autem, cui cæteroqui, vel ipſo aſſerente, occaſio hujus operationis in vivis ſucceſſum explorandi defuit, licet ſingularem in ea deſcribenda diligentiam adhibuerit, nec minus commoda ab ea expectanda, ſoler-

ter

ter indicaverit; plures tamen fuiſſe, qui ſuo eam calculo approbaverint, aut plane ſecuti ſint, non æque conſtat. Non commendat certe eam PATINUS *a)* ad BARTHOLINUM quondam ſic ſcribens; *Ciſtotomi noſtri ad extractionem calculi veſicam non ſecant ad pubem, ſed in parte ſiniſtra perinæi, à quibusdam tentatum fuit ad pubem, verum non ſucceſſit, nec reſpondit eventus, ideoque abjecta fuit illa cogitatio etiam à quibusdam medicis, qui eam propoſuerant.* Quamvis autem BONNETUM Lithotomum Pariſienſem Franconica methodo olim uſum fuiſſe, ex fide JANNOTI referat TOLETUS, *b)* nec minus DIONIS *c)* relatum ſibi eſſe, ſcribat, laudatum BONNETUM ſæpius & felici quidem eam ſucceſſu inſtituiſſe, ejusque rei ocularem PETITUM fuiſſe teſtem; id ipſum tamen DOUGLASSIUS ideo in dubium vocare non veretur, quod obiter ſaltem ejus mentionem fecerint, nec adminiſtrandæ ejus modum deſcripſerint, addens præterea, ab amico ſibi de Chirurgo quodam Pariſienſi per plures annos PETITI familiari, relatum eſſe, nunquam hunc à PETITO quicquam hac de re percepiſſe. Atque iisdem fere de cauſis idem ille de D. GROENVELTIO *d)* ſuſpicatur, qui ſe coactum licet, aliquando feliciter in hunc modum calculum eduxiſſe, ſcripſit.

C §. IX.

a) Vid. T. Barthol. Epiſt. Med. cent. IV. Epiſt. XX.

b) In libro quem Traitè de la Lithotomie inſcribit, c. 13.

c) In Tractatu, cui Titulus eſt Cours d' operations. p. m. 156.

d) In Tractatu de Lithomia; qui prodiit. Londin. 1710. p. 152.

§. IX.

Quod ſi legere non diſplicuerit, quæ FABRICIVS HILDANUS *a*) in hanc rem memoriæ prodidit, apparebit forte non conſtare ſibi virum, ceteroqui harum rerum non obiter peritum. Enimvero poſtquam hic non præterierat difficultates, quæ premere hanc methodum videbantur, nec incommoda, juxta ſe quidem ab ipſa metuenda, intacta reliquerat, ita tandem concludit. *Cum dicto igitur* FRANCO *fideli atque induſtrio cuivis Chirurgo periculoſæ hujus Lithomiæ adminiſtrationem iterum atque iterum diſuadeo.* Quomodo vero hæc cum his cohæreant, quæ mox ſubjungit, equidem non video. *Si vero*, inquit, *calculus ingentis fuerit magnitudinis &c. ſectionem illam inguinalem, de qua ſcribit* FRANCUS, *ſectioni, quæ fit in collo veſicæ præferrem; calculus enim ſi propter magnitudinem ad inguen attollitur, minori cum dolore ac NB. periculo in inguine, quam per collum veſicæ extrahi poſſe, plane mihi perſuaſum habeo*; Ubi quidem neminem rerum anatomicarum non ignarum, facile negaturum eſſe, opinior, quod utique eo loco & ob rationes quasdam à ROUSSETO *b*) allegatas major calculus facilius è veſica eximi poſſit, illud autem etiam rationi conſentaneum nobis videtur, quod ſi à majori calculo, minori periculo, patiens in hunc modum liberari poſſit, id tanto magis de minoribus ſperandum eſſe.

§. X.

Quæ igitur vix quorundam applauſum mereri videbatur,

a) In libro de Lithomia veſicæ p. m. 732. 733.
b) c. l.

batur, & hactenus penitus fere neglecta erat Lithomiam adminiſtrandi methodus, eam DOUGLASSIUS celebris Londinenſium Chirurgus anno 1719. ad praxin revocare coepit, feliciter eam primum in juvene ſedecim annorum inſtituendo. Nec aliis quidem impulſus experimentis & rationibus, quam quibus dudum adductus ROUSSETUS, talem veſicæ calculum educendi modum commendaverat ac deſcripſerat. Erant nempe inter alia potiſſimum ejusdem à FRANCO feliciter licet in bimulo, prætereaque infirmo defatigatoque peractæ ſucceſſus, & plura vulnerum veſicæ perfecte curatorum exempla, quippe quæ & perpendendi exactius & inſtituendi demum hunc operandi modum, anſam ipſi & occaſionem præbuerant, ut pluribus ejus verba indicant, prout in Gallica quidem libelli, quam de nova hac lithotomia conſcripſit, editione ſe habent. Sic enim pergit: *Je conclus de ces exemples, &c. que puisqu'on a gueri heureuſement des plaïes accidentelles faites avec des inſtrumens ſi rudes & ſi groſſiers; les plaïes artificielles qu' on feroit dans l' endroit le moins dangreux avec des inſtrumens convenables, & tous les preparatifs & les precautions neceſſaires, reuſſiroient avec moins de peine, & avec beaucoup plus de certitude. Troiſiémement, parce que j' étois perſuadé par la connoiſſonce de la ſtructure des parties, & par les exemples que j' ai raportées, que la vie du malade ne ſeroit pas en ſi grand danger aprés cette operation, & qu' elle n' occaſionneroit jamais l' impuiſſance, l' incontinence d' urine, &c. qui ſont presque toujours les ſuites des operations ordinaires. Quatriémement, parce qu' en examinant & faiſant reflexion ſur toutes les objections que nos prédeceſ-*

C 2 *ſeurs*

ſeurs & les modernes on fait contre cette operation, je trouve qu' elles ſont trés-malfondées, & que la plûpart ſont imaginaires, comme on le verra par les réponſes. Cinquiémement, j' ètois enfin fermement perſuadé par les experiences que j' avois fait ſur des corps morts, d' avoir ſurmonté la ſeule & unique difficulté que j' y euſſe jamais vu, c' eſt à dire, d' avoir la maniere d' operer en toute ſeureté ſans riſquer la vie du patient.

ſ. XI.

Reliquum itaque erit, ut qua ratione ipſemet DOUGLASSIUS hoc opus aggreſſus ſit, exponamus. Sicut autem iisdem fere ROUSSETI argumentis, ut ſupra monuimus, inductus ad id ſe accingere, non dubitavit; ita licet ſerius ſecundam ſe libebilli à ROUSSETO de partu Cæſareo conſcripti editionem accepiſſe ſcribat, animo tamen non parum attento hoc eum volviſſe negotium, vel inde quodammodo apparere poterit, quod non minus quam ROUSSETUS, implendæ ante ſectionem veſicæ neceſſitatem perſpexerit. Quo quidem facto, impleta ſcilicet & aqua quidem tepida juxta Auctorem veſica, in medio ubi veſica tumorem formare ſolet, extracto paulatim cathetere, qui in illum finem adhibendus erat, paulo infra hujus ſuperiorem partem, inciſionem fieri jubet, quæ ad oſſa pubis finiat, quæ ſi eo usque pertigerit, ut fluctuare contentum in veſica liquidum ope digitorum ſentiatur, quod muſculis nondum penitus apertis, percipi poſſe ſcribit, tum abſterſo ope ſpongiæ ſanguine, altero utitur cultello, cujus apex, converſo ad

ad os pubis dorſo, verſus veſicæ cervicem pro eadem perforanda demittendus. Quod ſi factum eſſe effluens cum injecto liquido urina indicaverit, ſupereſt ut celerius veſica, ab oſſe inciſionem incipiendo, eatenus ea aperiatur, ut occupans eam calculus, alterius manus digitis, aut convenientibus inſtrumentis eximatur. Quod facilius etiam futurum non ſine ratione monet DOUGLASSIUS, ſi ſectio ipſius cutis, & maximæ muſculorum partis, inciſionem veſicæ magnitudine ſuperaverit. Inciſione interim facta, manus ſiniſtræ digitis indice & medio in veſicam immiſſis, figura & magnitudo calculi exploranda; qui ſi minor fuerit, iisdem digitis facile educi poterit, ſi dictis quoque alterius manus digitis in anum intruſis, verſus vulnus admotus fuerit. Quod ſi vero notabilis calculi magnitudo ſimili extractionis modo obſtiterit, volſellæ adhibendæ, ad hunc uſum adaptatæ, talis autem, cognita prius ope digitorum calculi figura, inter hos in veſicam demittenda; quo ſi prehenſus fuerit commode, retractis digitis, leniter tandem & caute admodum educendus. Ceterum ut Auctor quoque vult à calculorum fractorum fruſtis, aut pluribus etiam minoribus calculis, dicto modo patiens liberandus.

§. XII.

Hæc omnia ut ſine remora & obſtaculis commode fieri poſſint, ante ſectionem utique neceſſe eſt, obſerventur omnia, & in promptu ſint, quæ ea requirit: Pertinent huc idonea inſtrumenta, cum replendæ veſicæ tum incidendis partibus huic operationi ſubjectis & extrahen-

diſs denique calculis, aliisque uſibus inſervientia. Quæ ipſa tamen cum Auctor delineanda curaverit, uſumque eorum indicaverit, nos, quidem prolixius hic repetere ſuperſedemus. Neque hæc ſolum in præſentem uſum debito ordine diſpoſita eſſe convenit, ſed præterea etiam requiritur non modo ſufficiens miniſtrorum numerus, ut ſint qui ſuſtineant firmiter patientis caput & artus, ſed alius quoque ex iis comprimere vel deprimere penem, ne injectus liquor effluat, alius denique porrigere neceſſaria & ſeponenda recipere poſſit. Atque ſic tandem recumbente in dorſo patiente, manibusque ac pedibus vinctis, operationi locus eſt. Hac autem, prout dictum, peracta, patiens convenienti modo deligatus in lectum defertur. Ipſa vero deligatio, ſicut monente DOUGLASSIO ter quaterve per diem renovanda; Ita ſuccedente ſuppuratione, decubitum patientis in alterum latus vulneris coalitum facilitaturum eſſe, idem aſſerit. Non reticet verò etiam omnem urinam per vulnus ad perfectam fere usque ejus conſolidationem emanare, nec ægrum ante ſex ſeptemve dies ad alvum deponendum, ne conatus vehementiores vulneris coalitum impediant, cogendum eſſe. Cæterum non prætereundum quoque cenſuit, urinam per naturalem viam tandem effluentem, primis duobus aut tribus diebus plerumque ob contractionem urethræ exquiſitos excitare dolores, iis etiam quos calculus alioqui ipſe cauſari ſolet, interdum non cedentes, atque hoc incommodum vel ideo majus in infantibus eſſe deprehendit, quod ſi doloribus hujusmodi affecti, comprimant urethram, effluxuræ alioqui per hanc viam urinæ remoram injiciant, adeo quidem, ut

ſic

ſic retenta per vulnus denuo exitum quærat & hac ratione ejus ſanationem retardet. Neque in ſequiori ſexu, ſi notabilis magnitudinis calculus fuerit juxta aliam methodum procedendum eſſe, exiſtimat, niſi quod peculiaris catheter urethræ immittendus, à miniſtro digitis indice & medio, in vagina uteri oſſi pubis apprimi debeat, paulatim denuo extrahendus, ubi pro operatione dicto modo inſtituenda ſatis impletam veſicam ſenſerit operator. In quo quidem ſexu operationem hanc non ſolum faciliorem eſſe, ſed curationem etiam promptius quam in maſculino ſequi adfirmat.

§. XIII.

Poſtquam autem in quatuor ſubjectis eo quidem ſucceſſu tentavit hanc operandi methodum DOUGLASSIUS, ut tribus ſanitati reſtitutis, infans ſaltem trium annorum, quindecim poſt operationem horis vitam cum morte commutaverit, de prærogativa ejus non dubitans boni omnino publici intreſſe exiſtimavit, ut Noſocomiorum de eo Chirurgos certiores redderet. Licet vero iis inſuper pollicitus ſit, ſe quotiescunque permiſerint, hanc operationem publice peracturum eſſe, tantum tamen abeſt, ut impetrare id ab ipſis protuerit, ut potius omnes, excepto CHESELDENIO, recuſaverint: Qui poſtea etiam in novem ſubjectis hanc methodum feliciter ſecutus eſt, ut de Chirurgo PAULO, qui hanc operationem eodem ſucceſſu in dicto Noſocomio tentaverat, plura non dicamus. Quod ipſum CHESELDENIUM procul dubio movit, ut edito deinceps peculiari ſcripto, non

non ſolum de partibus inprimis peritonæo, ſectioni aut læſioni quoque in hac operatione ſubjectis, ſed de methodo quoque eam inſtituendi curatius egerit. Rationes interim ob quas, ordinariis fere hactenus methodis, novam hanc præferendam cenſet DOUGLASSIUS, earum plerasque ROUSSETUS dudum expoſuit, nosque ex maxima parte etiam ſupra attigimus. Neque enim hoc ſolum commodi hanc operandi methodum habere putat, quod cum juxta eam nec partes generationi inſervientes, nec ipſius Sphincter veſicæ lædi ſoleant, adhæc vero altiori quoque loco inciſio & ſupra ordinariam urinæ viam fiat, prava illa moleſtaque vulgarium methodorum conſectaria, impotentia, incontinentia urinæ, fiſtulæ non ſint metuenda. Sed quod ob vulneris quoque, quod hic locus admittat amplitudinem calculus ſine dilaceratione partium facilius promtiusque educi queat, nec ut in majoris quidem apparatus ſectione, opus ſit, tot inſtrumentorum repetita violentaque applicatione, prætereaque, ut de aliis non dicamus, minorem etiam calculum hoc loco longe facilius invenire ac extrahere liceat, quam in vulgaribus ſectionibus diuturniorem moram & explorationem ſæpe violentam expoſcentibus.

§. XIV.

Queadmodum vero hæc quoque calculum eximendi methodus ſuis cautelis indiget, ita difficultatibus quoque non omnino caret. Namque præterquam, quod ipſe DOUGLASSIUS moneat, nimiam veſicæ impletionem maximos dolores excitaturam, & ſeparationi peri-

tonæi

tonæi .à muſculis abdominis anſam daturam ; ob non ſufficientem vero ejusdem veſicæ repletionem futurum, ut inciſio, quæ calculo extrahendo reſpondeat, minus fieri queat, niſi delacerare partes, ut in vulgaribus hujusmodi ſectionibus fieri ſoleat, velimus. Addit quoque cavendum eſſe ne inciſio juſta ſive major ſive minor fiat. Priori enim caſu verendum eſſe, ne ipſum perforetur peritonæum. Poſteriori vero minus vulnus calculo ſine ſumma difficultate exitum non eſſe conceſſurum, idque tum citra ſummum periculum vix dilatari poſſe, quibus accedit adnotata, poſt peractam hanc operationem, jugis urinæ è vulnere inflicto emanatio, coalitum ejus non parum retardans.

§. XV.

De aliis, quibus implicitum eſſe hunc operandi modum, difficultatibus, quasque infirmo ſtare talo, probare anniſus eſt ſæpius laudatus DOUGLASSIUS, nihil addemus, non præteribimus tamen ſilentio, quæ adverſari eidem *a*) Clar. HEISTERUS advertit. Is enim cum virum triginta & aliquod annorum, juxta majoris apparatus methodum, fruſtra à calculo liberare conatus fuerit, rationibus & experimentis à DOUGLASSIO potiſſimum adductus, novisque aliis excitatus, noluit prætерlabi hanc occaſionem, calculi extractionem ſupra os pubis ſecundum deſcriptum hactenus modum, ſequente die, efflagitante inprimis id ipſum patiente, tentandi, quod

a) Vid. Heiſt. Chirurg. Cap. 137. p. m. 713.

quod ita quoque ſucceſſit, ut cum prævia debita inciſione promptè calculum eduxerit, non male inde habere viſus ſit patiens. Interea tamen ut de ea ſaltem dicamus, accidit, ut licet nihil ommiſſum fuerit, quod ad vulneris ſanationem congruamque pro adducendis ejus labiis deligationem ullo modo pertinere potuerit, id ſemper conſolidationem reſpuerit, urina jugiter è vulnere erumpente. In quo ſtatu cum per quatuor ſeptimanarum ſpatium æger permanſerit, appetitu tandem & viribus penitus proſtratis vivere deſiit, non tamen ut judicat Auctor, tam culpa ipſius operationis, quam antecedentis morboſæ conſtitutionis, in cujus quippe cadavere reliqua quidem bene conſtituta, renes vero inſolitæ magnitudinis & exulceratos & pure obſeſſos invenerat. Quod cum Clar. HEISTERO experiri licuerit illud potiſſimum hanc operandi methodum ſuſpectam ipſi reddidit, quod vulnus propter continuum urinæ effluxum difficillimè conſolidari poſſe, non ſine ratione aſſerit, quod ſub ipſius conſtrictione veſicæ ſemper illa liberiorem per amplius vulnus, quam per ſphincterem anguſtiorem & plerumque contractum exitum inveniat. Quibus accedit, quod abdominis hujusmodi vulnera ad coalitum non æque propendeant, muſculis obliquis & transverſis labia retrahentibus. Imò hunc urinæ effluxum adeo pertinacem obſervavit laudatus Auctor, ut neque emplaſtris glutinatoriis neque convenientibus ſpleniis ad latera vulneris adhibitis aut faſciis quoque congruis impediri refrenarique potuerit. Præterea fruſtra inter commoda hujus operandi modi referri cenſet, quando fieri hac ratione non poſſe ſibi perſuadent, quin urina propria gravitate deorſum tendendo vi-

am

am petitura ſit naturalem, quum ſatis notum ſit fluida compreſſa exitum quærere, ubi minorem inveniant reſiſtentiam, ut hac ratione probabilius ſit, compreſſa aut contracta veſica, urinam per apertum ampliusque potius vulnus, quam per ſphincterem clauſum exituram eſſe. Ceterum eandem fere, quam circa vulneris ſanationem obſervavit difficultatem, in cauſa eſſe ſuſpicatur, quod quamvis aliquoties dudum peracta fuerit hæc operatio, alii tamen eidem inſiſtere minus conſultum duxerint. Atque his potiſſimum de cauſis hanc ſe methodum aliis nondum præferre, quod ſe tamen facturum, ſcribit, ſi methodus certa inventa fuerit, hujusmodi vulnera inprimis majora tutò & perfectè ſanandi. Nos interim ſupra allegatis & quibusdam obſervationibus adducti aliis, non denegabimus huic methodo uſum ſuum ac laudem aliis etiam eam prælaturi, ſi crebrioribus exoptati eventus experimentis confirmata fuerit.

§. XVI.

Relicta nunc Douglaſſiana, de qua fuſiùs forte egimus, calculum veſicæ extrahendi methodo, ad alias & duas quidem progredimur, loco inferiori & hactenus potiſſimum ordinario ac conſueto in perinæo puta, celebrari ſolitas, quarum altera quidem, quum paucis inſtrumentis peragi ſoleat, minoris adparatus, altera vero, quæ majorem inſtrumentorum apparatum requirit, majoris apparatus nomine denotari ſolet. Illa à CORNELIO CELSO *a*) qui curate eam deſcripſit Celſiſtica,

 &

a) In Lib. de Re Medica l. 7. c. 26.

& à GUIDONE de CAULIACO *a*) qui ſecutus eandem, & exacte quoque expoſuit, Guidoniana vocatur. Hæc vero antiquis temporibus, quantum innotuit unice uſitata hodie etiamnum, circulatoribus potiſſimum familiaris eſt, peritioribus eam in infantili ſaltem ætate aliquando, vix vero in adultis, niſi certis caſibus ſuſcipientibus; ubi nempe calculus collo veſicæ adeo quidem incuneatus fuerit, ut nec manu Chirurgi retrudi, nec medicamentis expelli poſſit.

§. XVII.

Ægro autem apte pro ſuſtinenda hac operatione locato, qua de re inprimis TOLETVS *b*) legi poterit, lithotomus id potiſſimum agit, ut manus ſiniſtræ indicem & medium oleo prius inunctos in anum leniter immittat, calculum exploret, inventum ad perinæum deducat ibidemque detineat; quod ſi factum eſſe ſenſerit, ſupereſt, ut inciſione ſuper calculo ad latus futuræ ſiniſtrum per cutem, pinguedinem, veſicam, qualem ejusdem magnitudo poſtulaverit, facta, eum vel digitis eximat, aut ſi magnitudo calculi obſtiterit, immiſſo in veſicam lapidillo, aut ſi neceſſitas exigere viſa fuerit, volſella educere laboret. Quod ut facilius fiat, non alterum ſolum, plerumque è miniſtris inferiorem abdominis partem comprimere leniter linteo molliore complicato, & teſticulos elevare jubet operator, ſed ipſe quoque ipſius

exitum

a) In Chirurgia Tr. VI. p. m. 431.
b) c. 7. & 16.

exitum calculi digitorum in ano, non violenta tamen preſſione adjuvare nititur.

§. XVIII.

Quantis vero difficultatibus atque incommodis imo periculis ſtipatus ſit hic operandi modus, inter alios dudum obſervavit G. FABRIC. HILDANUS, a) dum hac ratione facile fieri ſoleat, ut Chirurgus collo veſicæ adjacentes partes, collum veſicamque ipſam per forando ac dilacerando enormibus Hæmorhagiis, incontinentiæ urinæ & fiſtulis anſam præbeat. Adhæc obſervatum ſcribit, non veſicam modo in hac operatione facile vulnerari poſſe, ſed hujusmodi læſioni inteſtinum rectum adeo quoque obnoxium eſſe, ut teſtante PETRO FRANCO, operator ſuum quoque digitum vulneraſſe viſus ſit, emanante deinceps urina per læſum inteſtinum, ut alvi fœcibus per inflictum vulnus exeuntibus. Quibus accedit, quod gravior veſicularum ſeminalium, quæ in hoc ſecandi modo ſubjectæ quoque ſunt, læſio, ſæpius impotentiam poſt ſe trahat. Nec inter hujusmodi atrociſſimi dolores reticendi, quos calculus prominentiis inprimis inæqualis ac exaſperatus, perinæo digitorum in anum immiſſorum ope violenter appreſſus, excitare ſolet, inflammationes & ſymptomata nonnunquam tanto certius inducens, graviora alia, quod ipſæ illæ calculi inæqualitates impediant, quo minus æqualis conveniensque inciſio fieri poſſit, ut prolixius non exponamus in adultis ob magnitudinem veſicæ, ipſiusque ab ano diſtan-

a) In Tract. de Lithotomia cap. XIII. p. m. 728.

ſtantiam, digitis minus commode prehendi & ad perinæum adigi poſſe calculum.

§. XIX.

Quæ cum ita ſeſe habeant, mirum videri non poterit, ſi circumſpectiores poſtea, majoris potius apparatus, cujus inventioni allegata procul dubio minoris apparatus incommoda anſam præbuerunt, methodum ſecuti ſint, & etiamnum ſequantur. Sicuti vero ab inſtrumentorum, quibus indiget notabili ſuppellectile illud nomen ſortita eſt hæc operandi methodus; Ita à MARIANO SANCTO, *Berolitano*, qui edito aureo de lapide veſicæ per inciſionem extrahendo libello, eam primus deſcripſit, methodus Mariana vocatur, quam ipſam tamen Præceptor ejus JOH. DE ROMANIS Medicus *Cremonenſis*, Romæ ante eum in praxin deduxerat. Enimvero poterat uſus diuturnus & experientia tandem docere, in ſectione calculi non ſufficere, ut eo explorato inciſio ſecure atque ita inſtituatur, ne gravius partibus incidendis aut aliis in vicinia læſis in majus diſcrimen adducatur patiens, ſed præterea laborandum quoque eſſe, ut tenaculæ extrahendis calculis vel majoribus quoque confringendis dicatæ pro ſubjectorum & ætatis aliarumque circumſtantiarum diverſitate magnitudinis diverſæ, vel rectæ, vel incurvæ tuto in veſicam non ſolum deducantur, ſed ut convenienter eo demum educto, etiam ſedulo inquiratur, num plures adſint calculi, aut fractorum calculorum fruſta vel ſabuloſa denique materia, quibus utpote eliminandis operam impendat Chirurgus, neceſſe

eſt,

eſt, ſiquidem patientis ipſi ſalus curæ cordique fuerit. Adhæc vel ipſius quoque calculi magnitudo, vulneris, quod pro extrahendo calculo infligendum erat, dilatationem requirere videtur.

§. XX.

Ecquis vero operis peragendi non omnino ignarus non facile intelligit, pro his ſcopis impetrandis variis, ſuisque uſibus accommodis inſtrumentis armandam Chirurgi manum eſſe? Noſtri interim inſtituti ratio non exigit, ut inſtrumenris, quibus indiget hic operandi modus, deſcribendis immoremur; videant autem, quibus volupe fuerit, TOLETUM, DIONIS, HEISTERUM & GARENGEOTIUM, *a*) qui, quicquid ad hanc quoque methodum pertinet & expoſuerunt exacte & figuris illuſtrarunt, ut de MARIANO SANCTO, SCULTETO, SOLINGENIO, HILDANO aliisque plura non dicamus, quorum ſcripta harum rerum curioſis abunde ſatisfacient.

§. XXI.

Quemadmodum vero ipſius explorationem calculi catheteribus ut plurimum argenteis cavis tentant lithotomi, ita ferrei in convexa parte ſulcati inciſionis tuto inſtituendæ locum monſtrant, ſulco quoque in ſectione cultri aciem excipiente. Utrosque autem diverſæ omnino magnitudinis eſſe oportet, ut quem pro ætatis ſubjectorumque

a) Traitté des inſtruments de chirurgie.

que diverſitate congruum eſſe intellexerit Chirurgus, eligere ſemper poſſit. Tenacularum in veſicam ſecuræ deductioni duo peculiaria inſerviunt inſtrumenta in formam gladiolorum fabrefacta, quæ propterea conductores quoque vocantur, & alter quidem maris, alter vero, qui ſulcum in altera extremitate habet, fœminæ nomine venit. In quem finem tamen alii aliud inſtrumentum concavum, quod Galli *gorgeret* nuncupant, adhibere ſolent. Ipſa autem calculi extractio non rectas ſolum, ſed incurvatas quoque requirit forcipes, ut nempe calculus educi, & è veſicæ lateribus eximi commodius queat. Ceterum ad ſabuloſam materiam è veſica evacuandam, lapidillis ſeu inſtrumentis cochlearis formam habentibus, utuntur, quorum ſpeciatim illud, quod in altra extremitate mediocrem protuberantiam obtinet, Gallis *bouton* audit, cujus uſus eſt, ut facta inciſione, per vulnus dictam hujus inſtrumenti extremitatem in veſicam immittat Chirurgus exploraturus, num plures adſint calculi, quo ab his penitus tandem liberari poſſit patiens.

§. XXII.

Qui itaque his inſtructi inſtrumentis, ad peragendam operationem ſe accingunt, de ſitu potiſſimum patientis commodo, in quo firmiter etiam ad finem usque detinendus, ſoliciti ſunt, ut ſuis neceſſaria inſtrumenta uſibus liberè rectèque impendere poſſint, nec in operando motibus ægri ac niſibus turbentur. In tali igitur ægri poſitu, diductis à miniſtris cruribus, & ſcroto elevato, ſulcatum è ferreis catheterem oleo prius inunctum, quem

quem operationi congruum deprehendit, per urethram in veſicam immittit, calculum etiamnum exploraturus, de cujus præſentia ſi certus fuerit, operam dat, ut convexam catheteris partem verſus latus ſiniſtrum dirigendo, urethram vel ipſe vel miniſter, cui in hunc finem nonnulli manubrium catheteris tradunt, qui ſcrotum elevat, perinæo apprimat, quo facto retracto paululum cute verſus latus dextrum, inciſio ſupra catheterem facienda, duorum, trium, quatuorve digitorum transverſorum longitudinem, prout nempe neceſſitas exegerit, æquans ita quidem, ut lithotomus a parte fere media perinæi, cultrum linteolo ex parte involutum, recta deorſum ducendo, cutem, pinguedinem ac urethram ita diſſecet, ut cultri acie in ſulcum catheteris perveniat, nec ab eo unquam aberret, qua quidem urethrræ inciſione efficit Chirurgus, ut eam illi fœminarum quodammodo, ut BERNHARDUS ALBINUS *a*) loquitur, ſimilem faciat. Jam vero non ſufficit exitum calculo in hunc modum paratum eſſe, ſed laborandum quoque, ut forceps, quibus is extrahendus tuto in veſicam introducatur, quapropter antequam catheterem extrahit Chirurgus, primo conductorem, quem maris nomine denotari diximus, ſulco ipſius imponit, in eoque eum in veſicam demittit; deinde extracto remotoque cathetere, alteram alterius conductoris, quem fœminam vocavimus, extremitatem ſulcatam, conductoris maris acutiori parti ita applicat, ut ſupra ea quoque ſecure in veſicam intromitti poſſit. Quibus peractis reliquuum eſt, ut conductoribus paululum

 didu-

a) Vid. ejus Oratio in obitum Joh. Jacobi Ravii p. 17.

diductis, inter eos forceps calculo extrahendo deſtinatus in veſicam deducatur. Quorum tamen conductorum loco, alii concavo illo inſtrumento, quod præter alia depictum quoque exhibent TOLETUS & D. HEISTERUS, quodque Gallos *gorgeret* nominare diximus, ceterum eidem uſui inſervit, uti ſolent. Prout vero tempeſtivum nunc eſt, ut calculum & clauſa quidem forcipe inveſtiget Chirurgus, ne præmaturius eam aperiendo, veſicam forte arripat, ita dexteritati certe ipſius tribuendum quoque erit, ſi repertum ea parte, qua egreſſui, quem forcipis quidem in hanc illamve partem motione molietur, minus reſiſtat, apprehendere potuerit. Quod ſi vero major calculus extrahi nequeat, opera danda ut forcipe majoribus in hunc finem dentibus inſtructa, eum confringat, quo fruſta deinceps ejus ſucceſſive dicto modo eximi poſſint. Hoc ſi fruſtra tentaverit, nec peculiari dilatatorio, quod multis tamen diſplicet, via calculo ſatis aperirii queat, conſultius procul dubio erit, in veſica eum relinquere, quam violenta vulneris dilatatione majus patienti damnum afferre. Nondum vero ſuo functus eſt officio Chirurgus, ſi unius forte calculi extractio è voto ſucceſſerit, quin potius explorandum, num plures adſint in quem finem mox inſtrumentum, quod *bouton* Galli nominant, per vulnus in veſicam immittit, quo ſi tales deprehenderit, laborandum, ut pari & dicto ab iis modo æger liberetur. Quod ſi tandem ſabuloſa veſicam occupare materia videatur, peculiaribus ea, adhunc uſum fabrefactis cochlearibus exhaurienda, quod, de minoribus etiam calculorum fruſtis dicendum. Atque ſic finita operatione, ſolutis, quibus in ſitu debito detinebatur vin-

vinculis, in lectum deferendus eſt æger, ac tandem congruo modo deligandus. De iis autem, quæ poſt peractam operationem ad medico chirurgicam patientis tractationem, ipſumque regimen pertinent, plura non dicemus, quum noſtri inſtituti ratio id non æque exigat.

§. XXIII.

Quantumvis autem hanc operandi rationem, tanquam minoris apparatus methodo ſecuriorem etiamnum peritiores ſequi ſoleant; non dubitamus tamen, quin quilibet harum rerum non omnino ignarus, è prolixo inſtrumentorum, quæ requirit apparatu, quo ſubjectæ ipſi partes, non raro gravius lædi ſolent conſtitutione ac uſu, facile colligere poſſit, non laborioſum modo talem quoque operandi modum eſſe, ſed difficultatibus quoque ac periculis non carere. Neque enim à vero aberrare videbitur DOUGLASSIUS uſitatarum hactenus methodorum incommoda expoſiturus, ſi hanc quoque potiſſimum laborioſam ac periculoſam reddere exiſtimat, non longitudinem modo & anguſtiam viæ, per quam forceps pro calculo extrahendo in veſicam immittenda & cum eo retrahenda eſſet, ſed inſtrumentorum quoque craſſiorum uſum, eorumque aliquando repetitis vicibus applicandorum neceſſitatem, magnitudinem denique & figuram calculi irregularem. Idem vero obſervarunt dudum non pauci, qui vel rerum peritia anatomicarum, vel chirurgicarum quoque operationum exercitio, inter quos ipſe DOUGLASSIUS FIENUM, FABR. HILDANUM, TOLETUM ac MERY-

UM *a*) allegat, inclaruerunt; quorum poſterior, quum incommodorum & graviſſimorum conſectariorum, quæ non adeo raro hanc operationem inſequi obſervantur, rationes exacte reddidiſſe videatur, nemo nobis vitio vertet, ſi ipſa ejus verba hic adponamus: *Lorsque pour tirer la pierre hors de la veſſie, on fait inciſion au perinée, on coupe les deux muſcles accelerateurs, on ouvre l' urethre & l' on pouſſe par le col dans le corps de la veſſie une tenette dont on charge la pierre, que l' on tire avec cet inſtrument par la playe de l' urethre. Or comme le diametre du canal interieur du col de la veſſie eſt beaucaup plus petit, qne le volume que forment enſemble la tenette & la pierre; De la vient, qu' on ne peut la tirer qu' avec des violents éfforts: Ce qui cauſe au col & au corps de la veſſie une contuſion, & un dechirement conſiderable, ſuivis quelque fois de la mort ou d' une incontinence d' urine, ou d' une fiſtule, par la quelle ceux qui echapent de l' operation perdent involuntairement leur urine. Par la meme raiſon il arrive auſſi aſſez ſouvent aux femmes une incontinence d' urine lorsque l' on leur tire la pierre par l' urethre comme on a coutume de faire.* Quibus addendum, quod, licet annotante TOLETO ad 4. digitorum transverſorum latitudinem inciſio à ſphinctere veſicæ fieri ſoleat; in calculi tamen majoris ac prominentiis aſperioribus inæqualis extractione, vicini muſculi acceleratores, penis erectores dicti, & ſeminales veſiculæ lædi poſſint, ut non omnino rarum ſit, hujusmodi caſibus impotentiam quoque ſupervenirire.

§. XXIV.

a) Obſervations ſur la maniere de trailler du frere jaques p. m. 39.

§. XXIV.

Ut ad metam paulatim pertingamus, JACOBI BEAULIEU, Monachi nempe, cujus in præfatione mentionem fecimus, methodus calculum veſicæ extrahendi, ſubjungenda hactenus expoſitis erit, quam RAVIUS primum quidem impugnavit, poſtea vero emendavit atque ipſe feliciter ſecutus eſt, venerat is anno 1697. Lutetiam Pariſiorum, ut, quam hactenus profeſſus erat artem, eandem ibi quoque exerceret. Quatumvis autem id ſe gratis præſtiturum & Chirurgos novam hanc methodum edocturum eſſe promitteret, adhæc literis quoque commendatitiis nec paucis teſtimoniis inſtructus eſſet; minus tamen conſultum viſum eſt, dubiis forte vivorum corpora experimentis aut novæ ſtatim, de qua certius quid expectandum videbatur, arti exponere atque ſubjicere. Hoc ægre ferens Frater JACOBUS abiit parum contentus, poſtquam, ut DIONIS *a*) teſtatur calculi e veſica cadaveris juxta propriam methodum extractione Chirurgis præſentibus ſe minus commendaverat. Ubi tamen reticendum non eſt, idem, Dn. MERY *b*) eodem anno in Noſocomio l' Hotel Dieu dicto dextre ab eo peractum vidiſſe, qui ipſe etiam ſuam de hac methodo ſententiam laturus, poſtquam inſtituto vulneratarum partium per convenientem diſſectionem, examine, præter cutem & ſubſtratam pinguedinem muſculis acceleratoribus ac erectoribus illæſis veſicæ collum & vicinum huic veſicæ corpus ad dimidii pollicis latitudinem ſecundum longitudinem lateraliter inciſum obſervaverat, ma-

a) Vid. Cours d'Operations de Chirurgie p. m. 167.
b) l. c. cap. 1. p. 17.

gnis non ſolum hanc methodum laudibus extulit & vulgaribus præferendam duxit ; ſed commoda etiam quæ ab ea expectari poſſent latius expoſuit.

§. XXV.

Quamvis autem id operis in aliis quibusdam cadaveribus impari prorſus ſucceſſu tentaverit idem Monachus ; accidit tamen poſtea, ut in Fonte bellaqueo, ubi majorem apud eos, quibus per literas commendatus erat, fidem invenerat, ſuam ipſi in ſutore quodam exercendi artem occaſio ſubminiſtrata fuerit, quem quum feliciter ab eo, prout quidem per aliquod temporis ſpatium videbatur, liberaſſet, tantam ſibi famam acquiſivit, ut paulo poſt Lutetiam, ubi rumor de eo jam increbuerat, repetens reduxque calculos ſecandi libertatem facile atque poteſtatem impetraverit. Quippe quum eum quoque eſſe Magiſtratus ſibi perſuaſerit, cui appropinquante verno tempore calculo afflictornm in noſocomiis cura ac Sectio ob methodum uſitatis hactenus præferendam demandari poſſit ac debeat. Quam ſiniſtro vero ſucceſſu hoc negotium exſecutus ſit, ſatis quos ſupra allegavimus MERYUS ac DIONIS teſtati ſunt, ut augurium eventu poſtea non comprobante, ſuam ille de nova hac calculum educendi methodo plane mutaverit ſententiam, quum è ſexaginta, quos ſecuerat Monachus viginti quinque mortui, tredecim bene curati, viginti vero quatuor fuerint, in quibus infeliciter adminiſtrata operatio non infrequentia vulgarium methodorum conſectaria, incontinentiam puta urinæ, fiſtulas &c. cum ſumma corporis extenuatione poſt ſe traxerat.

rat. Præterea vero docuit inſtituta in defunctis ſectio urethram modo in operatione à collo reſectam hancque ab oſſe pubis prorſus avulſam, ſæpius dilaceratam, modo veſicam penitus perforatam, interdum fundum ejus perfoſſum in aliis præterea Monachum arterias, venas, & nervos ad cavernoſa penis corpora & ſpongioſam urethræ partem excurrentes diſſecuiſſe, denique in fœminis ſæpius vaginam perfodiſſe &c.

§. XXVI.

Quod ſi ipſam, qua Frater JACOBUS in operando proceſſit methodum & quibus uſus eſt, inſtrumenta penitius paulo examinemus, facile apparebit, vix aliter fieri potuiſſe, quin tot tantosque errores commiſerit & gravia adeo patientibus damna attulerit. Equidem quod ſitum attinet, quem in ægro requirebat operationem aggreſſurus, nullum videtur eſſe dubium, quin operi peragendo convenerit, & liberum ipſi, in quantum quidem fieri poteſt, aditum conceſſerit, cum ad inciſionem commode inſtituendam, tum ad calculum, parato exitu, eximendum. In eo forte eo magis peccaſſe videri poterit, quod ſecandorum artus non ligari, ſed à duobus ſolum miniſtris firmiter teneri voluerit, quo cautius loco ipſi conſueto, ſectio inſtituenda erat. Patiens enim, cujus non omnino dejectæ vires ſunt, exquiſitis in operatione doloribus excitatus, in tantum miniſtrorum non raro robur ſuperat, ut agitatione minimum qualicunque efficere poſſit, ut aberrans à debito loco, inſtrumento inciſorio vel vicinas partes vel quæ incidendæ erant loco minus convenienti gravius

vius lædat, ſicuti & ſæpius accidit huic Monacho & tanto magis etiam metuendum erat, quod cathetere uteretur non ſulcato, qui nec recipere ſcalpelli cuſpidem nec retinere poterat, quamcunque ideo manus firmitatem facile eluſuro. Nec in minoris apparatus methodo celebranda felicior fuit Frater JACOBUS utpote in qua violentius comprimendo veſicam & inteſtinum rectum lethalem eum fere ſemper contuſionem intuliſſe MERY teſtis eſt.

§. XXVII.

Operationem autem adminiſtraturus, patientem ſupinum menſæ imponi & flexa ſuperiora verſus crura, adductis ad clunes pedibus à duobus robuſtis miniſtris teneri jubebat. Quo facto catheterem non ſulcatum ab hactenus uſitatis quodammodo diverſum nec his uſibus, ut Dn. MERY opinatur æque idoneum per urethram in veſicam intromittebat eumque ſiniſtra manu ſiniſtrorſum ita dirigebat, ut gibba ejus parte extrorſum protruſa, locum & ſibi quidem ut plurimum conſuetum ad ſiniſtrum & internum protuberantiæ oſſis iſchii latus monſtraret, ubi inciſionem faciebat, quantam calculi ipſi magnitudo requirere videbatur, ſcalpellum aliis in hunc finem uſitatis longius, per partes ibi obvias profundius ad veſicam, ut exitum pararet calculo, adigendo. Poſtea explorato, nonnunquam digito per vulnus in veſicam intruſo calculi ſitu, conductorem, cujus figuram exhibet MERY *a*) in eam immittebat, ut & dilataret vulnus & ſuper eodem forcipem in veſicam introduceret, qua prehenſum calculum educto prius conductore, promte quidem vehementius tamen extrahebat

a) l. c. p. m. 18.

bat Monachus, ceterum de ulteriori patientis cura non amplius vel parum ſolicitus, quippe quem hac de re ſubinde interrogatum reſpondiſſe refert DIONIS: *Je lui ay tiré la pierre; Dieu le guérira.*

§. XXVIII.

Ex his autem ſatis conſtare poſſe arbitramur, improvidè Fratrem JACOBUM ſectionem inſtituiſſe, calculum violentius extraxiſſe, & inſtrumentis denique minus idoneis uſum eſſe, ut mirum non ſit, quod, quos ſupra laudavimus Galli, ſiniſtrorum eventuum ac ſucceſſuum culpam potiſſimum, partim in inſtrumenta rudemque operandi modum contulerint, partim vero craſſam ſimul ejus in anatomia ignorantiam accuſaverint. Quæ omnia, quum inter alios Dn. MERY obſervaſſet, per conſcientiam hunc Monachum obſtrictum eſſe exiſtimabat, ut relicto hoc operandi modo, in fœminis quidem ac puellis vel hactenus conſuetum, vel alium ab ipſo deſcriptum eligeret; In viris autem ac pueris methodum, quæ in Actis quoque Erud. excerpta legi poteſt, ſequeretur, ab ipſo proponendam, de qua tamen, quum non æque in uſum ea venerit, nec de ſucceſſu ejus quicquam conſtet, Fratris vero JACOBI operandi modo, ſiquidem recte inſtituatur minus præferenda videatur, hic plura non dicamus. Sicuti autem DIONIS non abſolute Monachi hujus methodum damnat, quin duo potius ob ea commoda peti poſſe exiſtimat, quorum alterum eſt, quod ita dicta punctio perinæi loco, illi conſueto, commodius tutiusque inſtitui poſſit, ceterum vero, quod Chirurgus anatomes probe gnarus facta eodem loco

inciſione calculum feliciter quoque extracturus ſit, quippe cui non ignotum ſit, quomodo ſuis inſtrumentis recte uti, quove cultrum dirigere debeat, ad prava illa conſectaria ac incommoda, de quibus plura diximus, evitanda. Ita fieri hoc omnino poſſe B. RAVIUS certè ſuo abunde comprobavit exemplo, utpote quem poſtea in adminiſtranda hac operatione Fratre JACOBO tantò feliciorem fuiſſe conſtat, quanto exquiſitiori anatomes peritia ipſum ſuperàvit.

ſ. XXIX.

Quantumvis autem B. RAVIUS Fratris JACOBI methodum, poſtquam ejus operationibus Amſtelodami, quam felicius tamen ibidem non adminiſtraverat, interfuiſſet, damnaverit ac rejiciendam primo ſtatuerit; is ipſe tamen qui operis peragendi probè gnarus erat, nec incommoda ac pericula, quæ inſequi non raro uſitatos operandi modos ſolebant, & quibus conjuncti erant, difficultates non, ignorabat, maximopere utique optandum intelligebat, ut tutior iis atque commodior inveniri poſſet. Re itaque ſerius examinata, pro egregia, qua præditus erat, anatomes peritia, perſpexit tandem, nullum periculum metuendum eſſe, ſi ipſius veſicæ corpus prope cervicem lateraliter pro extrahendo calculo debita inciſione aperiri poſſit, quin potius futurum, ut hoc modo ipſa ejus cervice utplurimum & urethra illæſis, alia incom̃oda longe certius declinari queant. Quum vero animadverterit pro hoc ſcopo obtinendo etiam non commodiori loco, quam quem Frater JACOBUS in hunc finem hactenus elegerat, inciſionem inchoari poſſe, non poterat utique non tanto Anatomico, cui

cui quicquid de partibus ibidem occurrentibus notatu dignum, cognitum erat atque perſpectum, ſimul in mentem venire, verendum eſſe, ut inſtrumenta, quibus opus erat, tuto ad veſicam deduci atque adigi poſſint. Etenim, quum veſicæ, cui vulnus infligendum erat, pars profundius ſita, adeoque iter ad illud longius eſſet, tanto magis cavendum videbatur, ne vicinas partes, inteſtinum rectum, vaginam uteri, veſiculas ſeminales aliasque læderet, quibus maximum ſæpe Fratrem JACOBUM ſcalpellum inprimis improvide profundiusque intrudendo, & a via recta ob catheterem minus ſulcatum aberrando, maximam ſæpe vim intuliſſe, ex dictis patere poterit. Quod ut Celeberr. RAVIUM attento volviſſe animo dubium non eſt; ita, ut de operationis aliquando in vivis inſtituendæ ſucceſſu tanto magis certus fieret, non præterlabi paſſus eſt occaſionem, quorundam quoque ex iis, quos Frater JACOBUS ſecuerat, corpora cultro anatomico examinandi, ut quas ille partes vulneraverit, & quibus parcendum eſſet, aut qua id quoque ratione commode obtineri poſſet, manifeſtum fieret. Quo quidem modo id tandem conſecutus eſt, ut ipſi innotuerit, non tutiorem ſe in poſterum methodum ſecuturum eſſe.

§. XXX.

Supereſt, ut, qua dexteritate hunc laborem ſuſceperit Celeberr. RAVIUS, & quam provide ac caute in operando ſe geſſerit, declaremus. Sed vero antequam id faciamus, non videtur ſilentio prætereundum, quod Vir Clariſſ., quem in RAVII locum ſucceſſiſſe, ſupra indicavimus

SIEGFRIED BERNHARD. ALBINUS ante plures annos Lugduni-Batavorum eundem mihi operandi modum in duobus virilis ſexus cadaveribus, ea, qua par erat, fide, oſtenderit. Mihi vero tanto magis curæ cordique fuit, ut quæ obſervanda videbantur, curate annotarem, & iis, quæ Lutetiæ Pariſiorum non ſolum ſed Amſtelodami quoque apud Celeberr. RUYSCHIUM in pluribus cadaveribus in hunc finem experiri non omiſeram, atque conſignata habebam, adderem, quod non alium in extrahendo veſicæ calculo methodum ſequi animus eſſet. Nec defuit Darmſtadium reduci, in duobus eam pueris calculo laborantibus adminiſtrandi occaſio. Commodum etiam poſtea accidit, ut, quem ſupra laudatus ALBINUS edidit, Index ſuppellectilis anatomicæ, à RAVIO Academiæ Lugduno-Batavæ legatæ, cui methodi inter alia, qua is in extrahendo calculo uſus erat, deſcriptionem addiderat, in manus noſtras incideret, è quo, quæ noſtris deeſſe videbantur, facile ſuppleri poterant. RAVIUS autem, ut liber ipſi ad locum, ubi inciſio facienda erat, quive ipſius extractioni calculi idoneus videbatur, aditus eſſet, ægrum humiliori menſæ ſupinum ita imponi juſſit, ut nates, dorſo paulo elatiores eſſent, vinculis deinde, ne intempeſtivis patiens niſibus operantem turbaret injectis, & miniſtris eum non alium in finem in convenienti ſitu firmiter tenentibus, quam ut ipſe, cole manu ſiniſtra prehenſo, dextra catheterem commode per urethram in veſicam intromittere poſſet; Siniſtra tibia erecta, genu vero dextro, pavimento inſiſtens. Introducto vero in veſicam cathetere, operam dabat, ut convexam & ſulcatam ejus partem, parti veſicæ incidendæ inferiori nempe & laterali

ad

ad cervicem magis tamen poſteriora verſus apprimeret, quod ut obtineret, ſiniſtra manu ejus manubrium caute verſus abdomen dextrumque ægri inguen inclinabat. Appreſſam deinde leniter ad eum locum, dictam catheteris partem, admoto in ſiniſtro latere inter oſſis iſchii protuburantiam & anum pollice, explorabat, ut tandem eundem catheterem, circumſpectè partim ad pollicem impellendo, partim vero pollicem ipſum quoque catheterem verſus à ſiniſtra & inferiori parte dextrorſum ſurſumque premendo, locum inchoandæ inciſioni congruum inveniret. Sicuti vero curate omnino Cl. ALBINUS monet, hunc ipſum locum ad latus ani ſiniſtrum, pollicem, vel duos transverſos digitos ab eo, verſus oſſis iſchii tuber remotum eſſe, non propiorem ano, ne inteſtinum rectum læderetur, non remotiorem vero, ne cultrum nimis oblique catheterem verſus adigere neceſſum eſſet; Ita quod eodem Auctore referente, pro ſubjectorum ætatis, proceritatis, aliarumque circumſtantiarum diverſitate, modo propius ad anum, modo remotius ab eo, interdum vero altius, & nonnunquam demiſſius paulo, cutem inciderit, id dudum eo tempore, quo RAVII in anatomicis & chirurgicis manuductione uſus eſt, & plures ab ipſo vidit ſectos obſervaſſe ſe affirmat, Dn. PRÆSES, Patronus atque cognatus plurimum mihi colendus. Quo vero Vir Dexterrimus intactas certius relinqueret partes, quibus omnino parcendum erat, cutem primo & ſubſtratam ipſi pinguedinem incidebat, ſuperne deorſum verſus oſſis iſchii protuberantiam ducta cultri acie, exploraturus dein dextræ manus pollice aut indice in vulnus immiſſo catheterem incidendæ veſicæ parti firmiter appreſſum, non ut quicquid ſupra eum occurreret, imprudenter ſimul diſcinderet, ſed ut

 apicem

apicem cultri ad catheteris ſulcum ſuſpenſa manu dirigendo, levi ſectione pergeret, qua ipſa etiam, ut inteſtino recto tanto certius parceret, intromiſſo caute in anum digito ejus ſitum explorare ſolebat, atque ſic quidem continuata inciſione, quum ad metam ſe, veſicæ nempe ſecandæ partem pertigiſſe intelligeret, indere denuo in vulnus digitum ejusque ope catheteris poſitum explorare ſatius duxit, quam incaute Fratrem JACOBUM imitando voto & ſcopo excidere. Intelligebat enim RAVIUS harum rerum, ſi quis alius peritus non proſequendam eſſe ſectionem, niſi ſulcata & convexa catheteris pars convenienti loco admota aut reſtituta eſſet. Quod ubi impetraſſe ſe animadvertit, id egit, ut cultelli apicem omni adhibita cautione in catheteris crenam demitteret, & ſurſum deorſumque in ea eum ſecure ducendo in tantum dictam veſicæ partem aperiret, ut calculus in veſica contentus extrahi poſſet. Atque in hunc finem parato calculo educendo exitu, reliquum erat, ut forceps pro eo extrahendo in veſicam tuto deduceretur. In quem finem conductoribus uſus eſt ab uſitatis, qui gladiolorum formam obtinent, non diverſis, nec alio modo, quam ut ſupra de apparatu magno dictum in veſicam immittendis, niſi quod hic ob viam longiorem tanto cautius procedendum eſſet, conductorem igitur primo marem cauta firmaque manu per vulnus ad ſulcum catheteris dirigebat, cui, ſi eundem inniti certus eſſet, retrahendo paulatim convenienti modo curvam catheteris partem, manubrium ſiniſtra manu caute ad ſe ducendo, conductorem, quem in ejus ſulco defixum ſervabat, in veſicæ cavitatem tuto introducebat. Hunc ſequebatur conductor fœmina ſupra

dicto

dicto modo ad eundem locum, extracto prius è veſic catethere demittenda, mox tamen & primo deducta inter hos conductores in veſicam forcipe, retrahenda. Illud omnino non reticendum videtur, quod explorato forcipis ope calculo atque reperto, eductoque conductore mare, valide eam aperire ſolitus fuerit, ut & vulnus hac ratione ampliaret, & dilatando veſicam, a calculo, eam removeret. Tandem repertum prehenſumque calculum caute extraxit, explorans denuo, an plures calculi, horum fragmenta, ſanguinis grumi in veſica hæreant, ut eximere quoque poſſet. Peracto labore de medicamentorum ad vulnus applicatione multo minus de prolixo deligationis apparatu ſolicitus, apertum potius primis diebus manere vulnus volebat, ut ſanguini congrumato, ſabulo, & quæcunque e veſica eliminanda videbantur, exitus pateret, futurum enim ſciebat, ut vulnus deinceps eo citius & cum majori ægrotantis commodo coiret. Quod ipſum quoque brevi ita coaluiſſe non ignorant, quotquot RAVIUM hoc opus peragentem viderunt, adeo quidem, ut eorum, quos ſecuit plurimi, ſi non omnino omnes, ſanitati feliciter & ex voto reſtituti ſint.

§. XXXI.

Quam peritus autem operationis commode inſtituendæ RAVIUS fuerit, inde quoque liquet, quod inſtrumentis, inprimis catheteribus ad hunc uſum idoneis & uſus ſit & ad eam adaptari & confici curaverit, ut recte omnino judicare videatur laudatus ALBINUS, qui catheteris & forcipum quoque figuras in allegato ſcripto exhibet

exhibet, ad hujusmodi inſtrumenta invenienda ſedulam partium in corporibus humanis contemplationem collatam cum iis, quæ in operatione peragenda erant, anſam ipſi dediſſe. Quis igitur cum eodem Auctore non facile conceſſerit, quod, licet RAVIO præiviſſe Fratrem JACOBUM negari nequeat, illud tamen ei hodieque & ſemper eſſe deberi laudi maximæque gloriæ, quod peritia, ingenio, & induſtria ſua, id ejus methodo addiderit, quo ſolo, curatio ceteroqui incerta, tutior & cæteris forte melior reddita ſit. De RAVIO vero celeberrimus quoque ALBINUS pater id prædicat, tot ſeculorum opus ab eo demum perfectum eſſe, huncque, ſeculis retro omnibus prætervifa, in apricum locaſſe. Tantum enim abeſſe exiſtimat, ut, fuerint ex iis, qui ante Hippocratica tempora hanc artem profeſſi ſunt, & poſt HIPPOCRATEM ad noſtra usque tempora ſedulo excoluerunt, artis chirurgicæ rerumque anatomicarum licet ſæpe peritiſſimi, hanc methodum invenerint, ut potius ne jam quidem in iis locis reperti ſint, in quibus tamen nihil, quod perficiendæ tali arti inſervire poſſit, deeſſe videatur, qui ejus periculum facere auſi ſint, poſtquam rei tam inſolentis fama ad illos pervenerat.

§. XXXII.

At vero ne diutius laudibus, quas alii RAVIO, qui noſtris encomiis non indiget, immoremur, de commodis potius, quæ ſecum trahit ejus operandi methodus, quam ob ea, aliis præferendam cenſemus, aliquid adjiciendum erit. Equidem lithotomiam operationem omnino eſſe difficilem & maxime dolorificam talemque ſemper

man-

manſuram, nullum videtur eſſe dubium. Tanto magis autem optandum erat, ut talis eam peragendi modus inveniri poſſet, cujus beneficio ſine tot ſaltim tantisque cruciatibus à calculo, minori periculo liberari non ſolum poſſent eo afflicti, ſed, qui è gravibus etiam quorum ſæpius mentio facienda erat, incommodis vix ullum inferret ac ſecum traheret. Talem vero fuiſſe & eſſe RAVII lithotomiam adminiſtrandi methodum aſſerere, non dubitamus. Is enim cum inciſionem faciat loco, cui inſigni pinguedinis copia proſpexit natura & ab angulo quidem, quem oſſa pubis connexione ſua formant remotiori, nec tam urethræ, quam ipſius potius corporis veſicæ parti inferiori & laterali & paulo quidem verſus poſteriora prope ejus cervicem vulnus infligat, facile arbitramur apparere poſſe, quod calculus in hunc modum facilius per vulnus hoc loco magis dilatabile, citra partis hujus ſi non ſemper omnino omnem, non tantam tamen aut minus periculoſam dilacerationem educi queat, & quare vel ideo non ſolum dolores tolerabiliores futuri ſint, nec enormis prorſus hæmorrhagia metuenda ſit, quibus accedit, quod quum tanta vis vel ſphinčteri, vel partibus adjacentibus aliis non inferatur, à pravis quoque illis conſectariis, qualia potiſſimum ſunt incontinentia urinæ, fiſtulæ & impotentia, immunes ſi non omnino ſemper, plerumque tamen maneant, ad hæc vulnus etiam facilius & promtius conſolidari ſoleat.

§. XXXIII.

Quod quum ita ſe habeat, obſcurum amplius non erit, quare Ravianæ methodo prærogativam tribuamus, eamque ceteris præſtantiorem judicemus: Illa vero dif-

ficultas, qua Ravii methodum implicitam eſſe Dn. D. HEISTERUS putat, quod ob profundam quæ juxta eam facienda inciſio eſſet, non facile ſit, ad catheterem cultrum & forte conductores etiam dirigere, citra adjacentium partium læſionem, eam à perito artifice ſuperari poſſe, ad probandum videtur ſufficere poſſe ſi vel unius RAVII exemplo conſtaret, quippe qui 1547. prout ipſemet in Oratione ſua inaugurali teſtatur, eo jam tempore ſecuerat. Quibus magnum aliorum numerum acceſſiſſe, dubium non eſt, quum vel jam ager proximo ad mortem fere usque hac quoque arte ſuccurrere non deſtiterit. Nec quod minimè tandem prætereundum erat, in virilis ſolum, ſed fœminini quoque ſexus ſubjectis, ubi tamen major procul omni dubio difficultas occurrit, eandem calculum extrahendi methodum non infeliciter adminiſtravit, modo non peperiſſent, aut viro uſæ eſſent.

§. XXXIV.

Quamvis autem frater JACOBUS eundem, quem in virilis operandi modum, in fœminini quoque ſexus ſubjectis ſequi ſolitus ſit; MERY diſſectione imprimis quorundam, in quibus ejus rei periculum fecerat, edoctus, ex diſpoſitione, ſtructura & ſitu in hoc ſexu obſervandis demonſtrare conatus eſt, fieri minus poſſe, quin eandem in eo viam ſecuturus, vaginam uteri ob arctiſſimum ejus cum urethra nexum ſecando penitus perforaturus ſit, ut hic quoque propterea conſueto operandi modo, ſecundum quem in hoc ſexu plerumque ſine ulla inciſione, forcipe inter conductores in veſicam per urethram introducta extrahi ſolet calculus, eum neutiquam præferendam cenſet, non negans cetroqui, quod hic frequenter

ter involuntarium urinæ profluvium poſt ſe relinqueat: illum vero non dubitat, quod adeo graviter vagina vulneretur, fiſtulam veſicæ in vaginam penetrantem ſecuturam, adeoque incommodum inde expectandum eſſe ideo, priori deterius, quod urina involuntario per fiſtulam effluxura ſit. His incommodis inductus MERY *a*) aliam excogitavit methodum hujus ſexus ſubjectis in tali morbo ſubveniendi, quam quidem non paucis commodis conjunctam fore ſibi perſuadet ſi modo certo conſtiterit, veſicæ & vaginæ vulnera ex voto ſanari poſſe. Conſiſtit autem in eo, ut catheteris, quali in virilis ſexus ſubjectis utimur per urethram in veſicam immiſſi convexa parte, verſus orificii uteri externam partem, vaginam, cui cohæret corpus veſicæ & urethræ principium, deprimamus & deinde cultrum in vaginam circa cervicem in ſulcum immittendo, conveniens inciſio fiat, ea cautione adhibita, ne uretheres circa inſertionem lædantur. Hoc enim modo inciſa cum vagina dicta veſicæ parte, futurum exiſtimat, ut è veſicæ cavo calculus facile eximi poſſit. Quam itaque methodum, Fratris JACOBI vel ideo quoque anteponi debere opinatur, quod hac ratione non ſolum vaginæ unicum ſaltem vulnus aliquod linearum longitudine infligatur, ſed quia in fœminis latius quoque, quam in viris oſſa pubis à ſe invicem diſtent, ſpatium quoque ſat amplum ſit, ut major etiam calculus tanto facilius educi queat. Ob quas rationes uſitato hanc methodum operandi modo, præferendam autumat. Quod ipſum quoque à FABRIC. HILDANO *b*) certo modo factum eſſe legimus, de cujus tamen obſervationibus conſiderari merebitur, quod quoad

 pri-

a) l. c. p. 30. *b*) cent. 1. obſ. 46. cent. 3. obſ. 69.

primam,ulcus deprehenderit leviuſculum ex ipſo veſicæ fundo, ut ſcribit, in collum matricis ad uteri orificiũ penetrans, nec minus ſe calculum erecta ægra, indice in vaginam immiſiſſe obſervare potuerit,quem deinceps, digito nonnihil lacerato ulcere, partim cultelli acie ad veſicæ collum inciſo, per ipſum forcipe & idoneo unco prius immiſſis, calculum citra vim, hæmorrhagiam, doloremque magnum eduxit. Alteram vero quam recenſet hiſtoriam quod atttinet, infinitos lapillos contuſi pumicis inſtar filamentis & membranulis colligatos per ulcus quod in fundo veſicæ fuiſſe ſcribitur, in collum matricis excretos obſervavit, quorum etiam quam plurimos forcipe ipſe extraxit, reliquos vero in rima ſe poſtea offerentes, eo abſente maritus exemerat. De utrisque autem notandum, quod priſtinam recuperaverint ſanitatem.

ſ. XXXV.

Illud autem omnino adhuc monendum erat, quod quæ ſupra de apparatus minoris, & majoris methodis diximus ſexum imprimis concernere virilem atque in hujus generis ſubjectis locum habere. De methodo enim hactenus conſueta, qua in fœminis ad extrahendum calculum uti ſolent, illud pro noſtri quidem inſtituti ratione tenendum erat, quod commode locata ægra & explorato per catheterem calculo, conductores, prout de apparatu magno dictum eſt, nosque ſupra quoque indicavimus, debito modo, & primo quidem mas & deinde fœmina per urethram in veſicam immittantur & forceps congrua inter hos in veſicam deducatur, ut reperto ejus ope calculo, eodemque prehenſo caute extrahatur. Quod ſi major fuerit calculus tentandum, an confringi & ejus deinceps fruſta eximi poſſint, hoc vero ſi durites ipſius non permiſerit, in uno vel utroque urethræ latere inciſionem ad ampliandam viam nonnulli jubent, ut hac ratione liberior ipſi exitus pateat. Quod nobis autem circa hanc rem obſervandum, id eſt, quod violentam talem urethræ dilatationem & extenſionem & nonnunquam diſruptionem, urinæ ſæpius incontinentia ſequatur. Atque hæc quidem pro noſtro protuliſſe ſcopo ſufficere poſſe exiſtimamus.

VIRO